



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius**

Lvgdvni, 1536

Capvt II [i. e. XI].

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.
 Sic virgo foecunda fuit, quæ pondere casto
 Factorem portare suum, dominumq; perennem
 Edere promeruit, dignoq; agnomine dici
 Virgo dei mater: cuius super omnia primæ
 Laudis, eris si forte voles charissima consors.
 Relligiosa pio si Christum & credula corde
 Concipiens, operum cælo pia germina gignas:

Quicumq; fe-
cerit voluntæ
patris mei
qui in cælis
est, ipse meus
frater soror
& mater est.
Matth. 12.

Siquis enim Christus mea iussa peregerit inquit,
 Atq; voluntatem patris compleuerit almi,
 Is soror, & frater meus est, is deniq; mater.
 Ecce vides sexu vt careat cælestis imago,
 Interior sortitus homo quam mente retentat.

CAPVT II.

NEc sexū acceptat, quia si scrutabimur alte
 Præbuit exemplū surgens à morte creator,
 Fœmineum maribus sese præponere honorem,
 Quod ne fœmineū posthæc quis spernere sexū
 Audeat, hic paucis visum est ostendere verbis.
 Quum diram lueret nostro pro crimine mortē,
 In crucis excelsō pendens sine crimine Christus:
 Atq; animam viuos quæ mox remearet in artus
 Fixus adhuc clauis diuino efflaret ab ore,
 Deserit

Deserit insoliti populus spectacula monstri:
 Signaꝑ ferre nequit, coelũ quæ triste minatur:
 Nam sol obductus, vultumqꝑ auersus ab orbe
 Cesserat iniustas nocturnis luctibus horas:
 Temporaꝑ externis dederat non visa tenebris:
 Et terra abscedens mutato cardine rerum
 Nox erat in superis, lucemqꝑ inferna videbant:
 Intremuit tellus, & nisu mœnia magno
 Concussis summo nutarunt vertice cristis:
 Senferunt motum priscis descendere iussa
 Saxa locis: sonitusqꝑ novos collisa dederunt.
 Hos inter strepitus cunctis fugientibus illæ
 Interea sanctæ matres Christumqꝑ secutæ
 Decernunt quãquã trepidæ, persistere: quũ iam
 Discipulí Christo fugissent ante relicto.
 Vt quæ erga viuum fuerat pia cura, sepulto
 Seruiat, & iustos defuncto soluat honores:
 Ergo fragranti cõponunt illita succo,
 Albaꝑ saluificum quæ seruent lynthea corpus,
 His amor intensis lugubria dona parabat
 Supremum credens semet persoluere munus
 Quod credebatur seruandum poscere corpus.

*Porteta Christi
 moriente
 uisa.*

*Pius mulierũ
 erga Christiũ
 affectus.*

k 3 Caput